

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Oratio XLII: Pro rege Deiotaro ad C. Caesarem

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



PRO REGE DEIO- P. 144.  
TARO AD C. CAE-  
SAREM.

ORATIO XLII.



*VM* in omnibus causis grauioribus, C. Caesar, initio dicendi commoueri solem uehementius, quam uidetur nel usus, uel etas mea postulare: tū in hac causa ita me multa perturbāt, ut, quantum mea fides studij mihi adferat ad salutē regis Deiotari defendendā, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite, fortunisque regis: quod ipsum, etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo; tamen est ita inusitatum, regem capitis reum esse, ut ante hoc tēpus non sit auditum. Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebamus pro perpetuis eius in nostrā rem, meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusatorū alterius crudelitate, alterius indignitate perturbet. Crudelis Castor, ne dicā sceleratū, & impium, qui nepos auum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaq; suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri & tegere debebat, commendationemq; ineuntis etatis ab impietate, & scelere duxerit, ani seruum corruptum premijs ad accusandum dominū impulerit, & a legatorum pedibus abduxerit. Fugitiui autem dominum accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimum nostrae reip. cum os uidebam, cum uerba audiebam,

non tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de  
 fortunis cōmunibus extimescebam. Nam, cum more ma-  
 iorum de seruo in dominum, ne tormentis quidem quari li-  
 P. B. ceat, in qua quæstione dolor ueram uocem elicere possit,  
 etiam ab inuito; exortus est seruus, qui, quem in eculo ap-  
 pellare non posset, eum accuset solutus. Perturbat me, C.  
 Cæsar, etiam illud interdum: quod tamen, cum penitus  
 recognoui, timere desino, re enim iniquum est, sed tua sa-  
 pientia fit æquissimum, nam dicere apud eum de facinore,  
 contra cuius uitam consilium facinoris inisse arguare, si  
 per se ipsum cōsideres, graue est. nemo enim fere, est, qui sui  
 periculi iudex, non sibi se æquiozem, quam reo præbeat.  
 sed tua, C. Cæsar, præstans singularisq; natura hunc mihi  
 metum minuit. non enim tam timeo, quid tu de rege Deio-  
 taro, quam intelligo, quid de te cæteros uelis iudicare. Mo-  
 ueor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam causam,  
 quanta nulla umquam in disceptatione uersata est, dico  
 intra domesticos parietes, dico extra conuentum, & eam  
 frequentiam, in qua oratorum studia nitii solēt, in tuis ocu-  
 lis, in tuo ore, ultiq; acquiesco: te unum intueor: ad te  
 unum omnis mea spectat oratio: que mihi ad spem obti-  
 nendæ ueritatis grauissima sunt, ad motum animi, & ad  
 omnem impetum dicendi, contentionemq; leuiora. Hanc  
 enim, C. Cæsar, causam si in foro dicerem, eodem audente,  
 & disceptate te, quantam mihi alacritatem populi Rom.  
 concursus adferret? quis enim ciuis ei regi non fauere, cu-  
 ius omnem aetatem in populi Rom. bellis consumptam esse  
 meminisset? spectare curiam, intueri forum, calum deniq;  
 testarer ipsum, sic cum & deorum imortaliū; & populi  
 Romani, & senatus beneficia in regem Deiotarum recor-  
 darer, nullo modo mihi deesse posset oratio. Quæ quo-  
 niam

niam angustiора parietes faciunt, actioq; causse maxime debilitatur loco: tuum est, Cæsar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre: quo facilius tum equitas tua, tum audiendi diligentia minuat P. 145.  
 hanc perturbationem meam. Sed, antequam de accusatione ipsa dico, de accusatorum spe pauca dicam: qui, cum uideantur neque ingenio, neque usu, atque exercitatione rerum ualere: tamen ad hanc causam non sine aliqua spe, & cogitatione uenerunt. Iratum te regi Deiotaro fuisse non erant nescij: affectum illum quibusdam incommodis, & detrimentis propter offensionem animi tui meminerant: teque cum hinc iratum, tum sibi amicum cognouerant: cumque apud ipsum de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem hoc nos primum metu, C. Cæsar, per fidem, & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te illam partem iracundiæ suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis, \* neque in prælijs, quam in promissis, & fide firmiorem. Tu illius domum mire, tu uetus hospitium renouare uoluisti: te eius dii penates acceperunt: te amicum, & placatum Deiotari regis aræ, focique uiderunt. Cum facile exorari, Cæsar, tum semel exorari soles. nemo unquam te placauit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quamquam cui sunt inuidia cum Deiotaro querela tuæ: nunquam tu illum accusauisti, ut hostem, sed ut amici officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeij amicitia fuisset, quam tuam: cui tamen ipsi regi ueniam te daturum fuisse dicebas, si, cum auxilia Pompeio, uel si etiam filium misisset, ipse tamen excusatione ætatis usus esset. Itaque,

P. B. cum maximis cum rebus liberares, per parvam\* amicitiae  
 culpam relinquebas. Itaque non solum in eum non ani-  
 maduertisti, sed omni metu liberauisti, hospitem agnouisti,  
 regem reliquisti. neque enim ille odio tui progressus, sed  
 errore communi lapsus est. Is Rex, quem Senatus hoc no-  
 mine saepe honorificèiisimis decretis appellauisset, quique  
 illum ordinem ab adolescentia grauissimum, sanctissimūq;  
 duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus,  
 & alienigena, quibus nos in media repu. nati semperque  
 uersati. cum audisset senatus consentientis auctoritate ar-  
 ma sumpta, cōsulibus, praetoribus, tribunis pleb. nouis im-  
 peratoribus remp. defendendam datam, mouebatur ani-  
 mo, & uir huic imperio amicissimus de salute populi Ro.  
 extimescebat, in qua etiā suam inclusam esse uidebat: sum-  
 mo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. ma-  
 xime uero perturbatus est, ut audiuit cōsules ex Italia pro-  
 fugisse: omnesq; consulares (sic enim nuntiabatur) cunctū  
 senatum, totam Italiam esse effusam. talibus enim nūtijs,  
 & rumoribus patebat ad Orientem uia, nec ulli ueri sub-  
 sequebantur: nihil ille de condicionibus tuis, nihil de stru-  
 dio concordiae, & pacis, nihil de conspiratione audiebat  
 certorum hominum contra dignitatem tuam. quae cum ita  
 essent, tamen usque co se tenuit, quoad a Cn. Pompeio ad-  
 cū legati, literaeq; uenerunt. Ignosce, ignosce, Caesar, si eius  
 uiri auctoritati rex Deiotarus cessit, quē nos omnes secuti  
 sumus: in quem cum dii, atque homines omnia ornamenta  
 cōgessissent, tum tu ipse plurima, & maxima. Neq; enim si  
 tua res gesta ceterorū laudibus obscuritatem attulerūt: id  
 circo Cn. Pōpeij memoriā amissimus. quantum nomen eius  
 fuerit, quanta opes, quanta in omni genere bellorum glo-  
 ria, quanti honores populi Ro. quanti senatus, quanti tui,  
 quis

quis ignorat? tanto ille superiores uicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti. Itaque Cn. Pompeij bella, uictorias, triumphos, consulatus, admirantes numerabamus: tuos enumerare non possumus. Ad eum igitur rex Deiotarus uenit hoc misero fatalique bello, quæ ante iustis, hostilibusque bellis adiuuerat, quocum erant non hospitio solum, uerum etiam familiaritate coniunctus: & uenit uel rogatus ut amicus, uel accersitus ut socius, uel euocatus ut is, qui senatui parere didicisset: postremo uenit ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad uictoriae societatem. Itaque, Pharsalico prælio factò, à Pompeio discessit: spem infinitam persequi noluit: uel officio, si quid deberat, uel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit: domum se contulit; teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit, ille exercitum Cn. Domitij amplissimi uiri suis telis, & copiis sustentauit: ille Ephesum ad eum, quæ tu ex tuis fidelissimū, & probatissimū, omnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertio auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum uteris: ille corpus suum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hostem esse duxit suum. Quæ quidem à te in eam partem accepta sunt, C. Caesar, ut eum amplissimo regis honore, & nomine affeceris. Is igitur non modo à te periculo liberatus, sed etià honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suæ interficere uoluisse. quod tu, nisi eum furiosissimū iudicas, suspicari profecto non potes. Ut enim omitam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatiū necare hospitē: cuius tanta importunitatis, omnium gētiū, atque omnis memoriæ clarissimum lumen extinguere: cuius tantæ ferocitatis, uictorem orbis terrarum non extimescere: cuius tam inhumani, & ingrati animi, à quo rex appellatus esset

P. 146.

P. B.

esset, in eum, tyrannum inueniri: ut hæc omittam: cuius  
 tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi erant fini-  
 timi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provin-  
 cias, omnia deniq; omnium arma cōtra se unum excitare?  
 quoniam ille modo cū regno, cum domo, cum coniuge, cum  
 carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo per-  
 fecto, sed etiam cogitato? At, credo hæc homo inconsul-  
 tus, & temerarius non uidebat. quis consideratior illo?  
 quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deio-  
 tarum non tam ingenio, & prudentia, quam fide, & re-  
 ligione uitæ defendendum puto. Nota tibi est, C. Caesar,  
 hominis probitas, noti mores, nota constantia. cui porro,  
 qui modo populi Romani nomen audiuit, Deiotari probi-  
 tas, integritas, grauitas, uirtus, fides non sit audita? Quod  
 igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere pos-  
 set, propter metum presentis exitij, nec in facinorosum, nisi  
 esset idem amentissimus, id uos & à uiro optimo, & ab ho-  
 mine minime stulto cogitatum esse confingitis. at quam  
 non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem! Cum,  
 inquit, in castellum Luccium uenisses, & domum regis  
 hospitis tui diuertisses, locus erat quidam, in quo erant ea  
 composita, quibus rex te munerare constituerat: huc te à  
 balneo, prius quam accumberes, ducere uolebat. ibi enim  
 erant armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati.  
 En crimen, en caussa, cur regem fugitiuus, dominū seruus  
 accuset. Ego mehercule, C. Caesar, initio, cum est ad me ista  
 caussa delata, Philippum medicum, seruū regium, qui  
 cum legatis missus esset, ab ipso adolescente esse corrup-  
 ptum, hac suspitione sum percussus: medicum indicem sub-  
 ornauit: finget uidelicet aliquod crimen ueneni. etsi à  
 ueritate longe, tamen à consuetudine criminandi non mul-  
 tum

tum res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de ueneno. at id fieri potuit, primo occultius in potione, uel in cibo: deinde etiam impunius fit, quod, cum est factum, negari potest. si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia: sed etiam arma conuertisset; si ueneno, Iouis illius quidem hospitalis numen numquam celare potuisset, homines uero fortasse celauisset. Quod igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit, id tibi, & medico callido, & seruo, ut putabat, fideli non credidit: de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit. At quam festiue crimen con-textitur! Tua te, inquit, eadem, qua semper, fortuna serua-uit. negauisti tum te inspicere uelle. quid postea? an Deiotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? At eodē te, cum cenauisses, rediturum dixeras: itaque fecisti. horam unam, aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? cum in conuiuio comiter, & iucunde fuisses, tum illuc iuisti, ut dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognouisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia: qua Africanus, inspectante exercitu, accepit. Quod cum praesens Deiotarus regio & animo, & more fecisset, tu in cubiculum discessisti. Obsecro, C. Caesar, repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: uultus hominum te intuentium, atque admirantium recordare, num qua trepidatio ē num qui tum uultus ē num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis grauissimi, & sanctissimi disciplina? Quid igitur causae excogitari potest, cur te lautum noluerit, cenatum noluerit occidere? in posterum, inquit, diem distulit, ut, cum in castellum Luceium uentum esset,

ibi

P. B.



ibi cogitata perficeret. Non uideo causam loci mutandæ, sed tamen acta res criminose est. Cum, inquit, uomere post cenam uelle te dixisses, in balneum te ducere ceperunt: ibi enim erant insidiæ: at te eadem tua fortuna seruauit: in cubiculum te ire malle dixisti: Diij te perdant, fugiue: ita non modo nequam, & improbus, sed & fatuus, & amens es. Quid ille signa ænea in insidiis posuerat, quæ e balneo in cubiculum transferri non possent? Habes crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. quid tunc ita demens ille erat, ut eum, quem consciuum tanti sceleris habebat, à se dimitteret? Romam etiam mitteret, ubi & inimicissimum sciret esse nepotem suum, & C. Casarem, cui fecisset insidias: præsertim cum is unus esset, qui posset de absente se uindicare? Et fratres meos, inquit, quod erant conscij, in uincula coniecit. Cum igitur eos uinciret, quos secum habebat, te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quæ illos scire dicis? Reliqua pars accusationis duplex fuit, una, regem semper in speculis fuisse, cum à te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breuiter, ut cetera. Numquam eas copias Rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum populo Romano posset: sed quibus fines suos ab excursionibus hostium, & latrocinis tuerentur, & imperatoribus nostris auxilia mitteret. atque antea quidē maiores copias alere poterat, nunc exiguas uix ueri potest. At misit ad Cælium nescio quem: sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in uincula coniecit. Non quero quæ uerisimile sit, aut non habuisse regē, quos mitteret: aut eos, quos misisset, non paruisse, aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos uinctos potius, quæ necatos fuisse. Sed tamen, cum ad Cælium mittebat, utrum causam il-

lam uictam nesciebat, an Calium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostri os homines nouit, uel quia non nosset, uel quia nesci contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse tibi, ueteres, credo, Caesar: nihil ad tuum equitatum: sed misit ex ijs, quos habuit, electos. At nescio quem ex eo numero seruum iudicatum, non arbitror: non audiui, sed in eo etiam si accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitraver. Alieno autem a te animo fuit, quomodo? sperauit, credo, difficiles tibi Alexandrie fore exitus propter regionis naturam, & fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum aluit: quum Asia praefeceras, ei nulla in re defuit: tibi uictori non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem praesto fuit. Secutum est bellum Africanum: graues de te ruinae sparsi: qui etiam furiosum illum Calium excitauerunt, quo tum erga te rex animo fuit, qui auctionatus sit, seseque, & filium suum expoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare? At eo, inquit tempore ipso Niccam, Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad se referrent. Itaque, cum esset einuntiatum, Domitium naufragio periisse, te in castello, circumsideri: de Domitio dixit uersum Graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum, "Pereat amici, dum una inimici interciderat, quod ille, si esset tibi inimicissimus, numquam tamen dixisset, ipse enim mansuetus, uersus immanis: Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? tibi porro inimicus cur esset, a quo cum uel interfici belli lege potuisset, regere, & se, & filium suum constitutos esse meminisset? Quid deinde furcifer? quo progreditur? ait hac Latina Deiotarus ille clatum, uino se obruisse, in conuiuioque nudum saltauisse. Quae crux huic

huic fugitino potest satis supplicij adferre? Deiotarum saltantem quisquam, aut ebrium uidit umquā? omnes sunt in illo regiae uirtutes, quod te, Caesar, ignorare non arbitror: sed praecipue singularis, & admiranda frugalitas. etsi hoc uerbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici nō multum habet laudis in rege: fortē, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, haec sunt regiae landes: illa priuata est. Ut uolet quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam, & temperantiam, uirtutem esse maximam iudico. haec in illo est ab inuente etate, tum a cuncta Asia, tum a magistratibus legatisque nostris, tum ab equitibus Rom. qui in Asia negotiati sunt, perspecta, & cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga remp. nostram ad hoc regium nomen ascendit: sed tamen quidquid a bellis populi Rom. uacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationesque iungebat: ut non solum tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur. Qui igitur adolescens nondum tanta gloria praeditus nihil umquam nisi seuerissime, & grauissime fecerit, is ea existimatione, eaque etate saltabit? Imitari potius, Castor, aui tui mores, disciplinamque debebas, quam

P. 149. optimo, & clarissimo uiro fugitini ore maledicere. Quod si saltatorem auum habuisses, neque eum uirū, unde pudoris, pudicitiaeque exempla peterentur, tamen hoc maledictum minime in illam etatem conueniret: quibus ille studijs ab ineunte etate se imbuerat, nō saltādī, sed bene ut armis, optime, ut equis uteretur: ea tamen illū cūctā iam etate exacta d. fecerāt. Itaq; Deiotarū cum plures in equū sustulissent, quod herere in eo senex posset, admirari solebamus. hic uero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia cō-

milito

milito fuit, cū in illo nostro exercitu equitaret cū suis de-  
 Elis equitibus, quos una cum eo ad Pōpeium pater miserat  
 quos concursus facere solebat: quam se iactare: quā se ostē-  
 tare: quam nemini in illa causa studio, & cupiditate con-  
 cedere: cū uero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor sem-  
 per fui, post\* Pharsalicū autem prōlium suasor fuissē  
 armorum non deponendorum, sed abiiciendorum, hunc ad  
 meam auctoritatem non potui adducere, quod & ipse ar-  
 debat studio ipsius belli, & patri satis faciēdum esse arbi-  
 trabatur. Felix ista domus, quæ nō impunitatē solū adeptā  
 sit, sed \* habet etiam accusandi licētiā, \* calamitosus De-  
 iotarus, qui ab eo, qui in iisdē castris fuerit, nō modo apud  
 te, sed etiam a suis accusetur. uos uestra secunda fortuna,  
 Castor, non potestis sine propinquorū calamitate esse con-  
 tenti. Sint sane inimicitia, quæ esse non debebāt. Rex enim  
 Deiotarus uestram familiam abiectam, & obscurā è tene-  
 bris in lucem uocauit. quis tuum patrem antea, qui esset,  
 quam cuius gener esset, audiuit? Sed, quamuis ingrāte, & P. B.  
 impie necessitudinis nomē repudiaretis, tamen inimicitias  
 hominum more gerere poteratis, non ficto crimine inse-  
 ctari, non expetere uitam, non capitis arcessere. Esto, con-  
 cedatur hæc quoq; acerbitatis, & odij magnitudo: ad eone,  
 ut etiam omnia uitæ salutisq; cōmunis, atq; etiam huma-  
 nitatis iura uiolentur, seruum sollicitare uerbis, spe, pro-  
 missisque corrumpere, \* abducere domo, contra dominū ar-  
 mare, hoc est, non uni propinquo, sed omnibus familijs bel-  
 lum nefarium indicere. nam ista corruptela serui, si non  
 modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate ap-  
 probata, nulli parietes nostram salutem, nullæ leges, nullæ  
 iura custodient. ubi enim id, quod intus est, atq; nostrū con-  
 pune euolare potest, contrāq; nos pugnare: sit in domo uis

seruitus, in seruitute dominatus. O tempora! o mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censores, pontificem maximum uidimus, cum tribunus plebis M. Scaurus principem ciuitatis in iudicium populi uocauisset, Scaurusq; seruus ad eum clam domum uenisset, & crimina in dominum delaturum se esse dixisset, comprehendi hominem iussit, ad Scaurumq; deduci. Vide, quid intersu (etsi iniq; Castorem cum Domitio comparo) sed tamen ille inimico seruum remisit, tu ab auro abduxisti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupisti: ille adiutorem seruum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti. At semel iste est corruptus a uobis? nonne cum esset productus testis, & cum tecum fuisset, refugit ad legatos? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium uenit? nonne, audiente hoc Ser. Sulpitio clarissimo uiro, qui tum casu apud Domitium cenabat, & hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsus esse confessus est?

¶ 159. Quae est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc urbem uenisti, ut huius urbis iura, & exempla corrumperes, domesticaq; tua inhumanitate nostrae ciuitatis humanitatem inquinares? At quam acute collecta crimina? Blesanius, inquit (eius enim nomine optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad regem scribere solebat, te inuidiose tyrannum existimari: statua inter reges posita animos hominum uehementer offensos: plaudere tibi non solere. Nonne intelligis, Caesar, ex urbanis maleuolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesanius tyrannum Caesarem scriberet? multorum enim ciuium capita uiderat: multos in iussu Caesaris uexatos, uerberatos, necatos: multas afflictas, & uersas domos: armatis militibus referunt forum: quae semper in civili ni-

Etoria sensimus, ea, te uictore, non uidimus: \*solus, inquam,  
 es, C. Caesar, cuius in uictoria ceciderit nemo, nisi armatus.  
 & quem nos liberi in summa\* reip. libertate nati nō modo  
 non tyrannum, sed etiam clementissimum in uictoria uide-  
 mus ducem: is Blesamio, qui uiuit in regno, tyrannus uideri  
 potest? Nam de statua quis queritur, una præsertim, cum  
 tam multas uideat: ualde enim inuidēdum est eius statuae,  
 cuius trophæis nō inuidemus. Nā, si locus adfert inuidiam,  
 nullus locus est, ad statuā quidem, rostro clauior. De plau-  
 su autem quid respondeam? qui nec desideratus umquam à  
 te est, & nonnumquā obstupefactis hominibus ipsa admi-  
 ratione compressus est: & fortasse eo prætermisus, quia  
 nihil uulgare te dignum uideri potest. Nihil à me arbitror  
 prætermisum, sed aliquid ad extremam causse partem re-  
 seruatum. id autem aliquid est, te ut plane Deiotaro recon-  
 ciliet oratio mea. Non enim iā metuo, ne tu illi succenseas: P. B.  
 illud uereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere, quod  
 abest longissime, mihi crede, Caesar: quid enim retineat per  
 te, meminit, non quid amisit: neq; se à te multatum arbi-  
 tratur: sed, cum existimaret, multis tibi multa esse tribuen-  
 da, quo minus à se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres,  
 nō recusauit. Etenim, si Antiochus magnus ille Rex Asiae,  
 cum, postea quam à Scipione deuictus Taurotenus regnare  
 iussus esset, \*omnemq; hanc Asiam, quæ est nunc nostra  
 prouincia, amisisset: dicere est solitus, benigne sibi à popu-  
 lo Rom. esse factum, quod nimis magna procuratione libe-  
 ratus, modicis regni terminis uteretur: potest multo facilius  
 se Deiotarus consolari. Ille enim furoris multam sustinue-  
 rat, hic erroris. Omnia tu Deiotaro, Caesar, tribuisti, cum  
 & ipsi, & filio nomen regium concessisti. Hoc nomine re-  
 rento, atq; conseruato, nullū beneficium populi Rom. nul-

lum iudicium de se senatus inminutum putat: magno animo, & erecto est, nec umquam succumbet inimicis, ne fortuna eadem. Multa se arbitratur & peperisse antea factis, & habere in animo, atq; uirtute, quæ nullo modo possit amittere. quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? ab omnibus enim est ornatus: qui postquam in castris esse potuit per etatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella gesserunt. Senatus uero iudicia de illa tam multa, tamq; honorifica, quæ publicis populi Rom. litteris, monumentisq; consignata sunt, quæ nunquam uetustas obruet, aut quæ tanta delebit obliuio? Quid de uirtute eius dicam? quid de magnitudine animi, grauitate, constantia quæ omnes docti atq; sapientes summa; quidam etiam sola

P. I. S. I. bona esse dixerunt, hisq; non modo ad bene, sed etiam ad beate uiuendum contentâ uirtutem esse. Hæc ille reputans, & dies, & noctes cogitans, non modo tibi non succenset, (esset enim non solum ingratus, sed etiam amens) uerum omnem tranquillitatem, & quietem senectutis acceptam refert clementiæ tuæ. Quo quidem animo cum antea fuerit, tum non dubito, quin tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiâ erexerit, ab omniq; sollicitudine abstraxerit. Iubes enim eum bene sperare, & bono esse animo. quod scio te non frustra scribere solere. memini enim iisdem fere uerbis ad me te scribere, meq; tuis litteris bene sperare non frustra esse iussum. Laboro equidem regis Deiotari causa, quocum mihi amicitiam respup. conciliauit, hospitium uoluntas utriusq; coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam uero necessitudinem magna eius officia in me, & in exercitum meum effecerunt: sed cum de illo la-

boro, tum de multis amplissimis uiris, quibus semel esse  
 ignotum à te oportet, nec beneficium tuum in dubium uo-  
 cari, nec hærere in animis hominum solitudinem sempi-  
 ternam, nec accidere, ut quisquam te timere incipiat eorū,  
 qui semel à te sint liberati timore. Non debeo, C. Caesar,  
 quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo  
 dicendo misericordiã tuam commouere possim nihil opus  
 est: occurrere ipsa solet supplicibus, & calamitosis, nullius  
 oratione euocata. Propone tibi duos reges, & id animo  
 contemplare, quod oculis non potes: dabis profecto mise-  
 ricordie, quod iracundiæ negauisti. Multa sunt tuæ cle-  
 mentie monumenta: sed maxime eorum incolumitates, qui-  
 bus salutem dedisti: Quæ si in priuatis gloriosa sunt, mul-  
 to magis commemorabuntur in regibus: semper regū no-  
 men in hac ciuitate sanctum fuit: sociorum uero regum, &  
 amicorum, sanctissimum. Quod nomen hi reges ne amit-  
 terent, te uictore, timuerunt: retentum uero, & à te con-  
 firmatum, posteris etiam suis tradituros esse confido. Cor-  
 pora uero sua, pro salute regum suorum hi legati tibi regū  
 tradunt, Hieras, & Blesamius, & Antigonus, tibi, no-  
 bisq; omnibus iamdiu noti, eademq; fide, & uirtute prædi-  
 tus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te mis-  
 sus: tum regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, pro-  
 bati. Exquire de Blesamio, numquid, ad regem contra di-  
 gnitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem  
 suscipit, & criminibus illis pro rege se supponit reum:  
 memoriam tuam implorat, qua uales plurimum: negat um-  
 quam se à te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse: in  
 primis finibus tibi se præsto fuisse dicit, usque ad ultimos  
 profectum: cum e balneo exisses, tecum se fuisse: cum illa  
 munera inspexisses cenatus: cum in cubiculo recubisses:



eandemq; assiduitatem tibi se praebuisse postredie. Quamobrem, si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit: non recusat, quin id facinus suum indices. Quocirca, C. Caesar, uelim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserissimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis est: alterum conseruare, clementiae. u.a.



P. 152. IN M. ANTONIUM  
PHILIPPICA PRIMA.

ORATIO XLIII.



**A**NTE QUAM de rep. Patres conscripti dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter consilium, & professionis, & reuersionis meae. Ego, cum sperarem aliquando ad uestrum consiliu, auctoritatemq; remp. esse reuocatum, manendum mihi statuebam, quasi in uigilia quadam consulari, ac senatoria. nec uero usquam discedebam, nec à rep. deiciebam oculos ex eo die, quo in adem Telluris conuocati sumus: in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundameta pacis, Atheniensiumq; renouaui metus exemplum: Graecum etiam uerbum usurpauit, quod tu in sedandis discordiis usurpauerat ciuitas illa: atq; omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendam censeui. Praeclaratum oratio M. Antonij, egregia etiam uolunt